

alia Pontificalia exercere, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus dioecesis fines Praepositura existit, ut decisum fuisse refert *Aldan.* in Compendio Canon. resolut. lib. 1. tit. 8. n. 10. Neque potest Episcopus titularis familiarem suum etiam triennalem ordinare absque sui proprii Praelati expresso consensu; sic expresse Conc. Trid. cit. sess. 24. cap. 2. de reformat. Immo ordinati ab Episcopo titulari sine consensu proprii Episcopi, ipso jure suspensi sunt, donec suo Praelato visum fuerit. Sic expresse Trident. loc. cit. Et ipse Episcopus titularis ordines conferens seu Pontificalia exercens sine licentia Ordinarii dioecesani est suspensus per annum ab usu Pontificalium, textu expresso in Trident. loc. cit. Episcopus titularis non est creandus, nisi vere urgeat necessitas. *Clemertin.* In plerisque cap. 5. de elect., et *Glossa* ib. verb.: *Vagationis*, ubi inhaerendo d. decretali invehitur in eos, qui anhelant ad Vicarias Episcoporum et Ecclesias titulares; et ibidem in verb. *Religiosos* dicit, hunc abusum maxime vigere in Religiosis, qui ad hoc laborant interdum etiam importune et per corruptelas, ut canere possint cum Psalmista „*Laqueus contritus est et nos liberati sumus* Psalm. 123, et sic cum *Glossa Fagn.* loc. cit. n. 47., *Ursaya* in Miscellaneo sacro et profan. part. 2. verb.: *Episcopus* n. 37.

Episcopus titularis administrator alterius Ecclesiae, quas functiones in illa facere possit et quomodo ei teneantur assistere Canonici Cathedralis; S. C. Rit. definit in Sarsinaten. Function. episcopali 22. Aug. 1722 ponente Cardinali Paulutio, ubi fuerunt proposita et resoluta sequentia dubia:

I. An Episcopus Civitatis Ducalis Modernus Administrator Ecclesiae Sarsinaten. in functionibus pontificalibus

gaudeat omnibus illis praeeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur et gaudent omnes alii Episcopi in propriis dioecesibus in casu etc.? Et quatenus negative,

II. An dictus Episcopus et Administrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat Missam et Vesperas in Pontificalibus, possit sedere super Cathedra episcopali elevata quatuor gradibus, parata cum Baldachino ac Postergali et uti Baculo pastoralis vel sedere debeat super Faldistorio prope altare sine Baculo?

III. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate apostolica?

IV. An ei, dum assistit Missae solemni ab alio cantatae, debeant Canonici facere Circulum ad Kyrie eleison, Gloria in Excelsis, Credo, Sanctus et Agnus Dei? Tuncque ubinam debeat sedere?

V. An fieri debeat anniversarium suae consecrationis, cum Missa cantatur per Capitulum et Clerum ejusque nomen debeat in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes?

VI. An dum Administrator Missam cantat in Pontificalibus, debeat poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa?

VII. An dum idem cantat Missam in Pontificalibus, debeant omnes Canonici sacris paramentis indui vel tres tantum fungentes Officiis Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri assistentis?

VIII. Ad dum vadit ad Cathedralam, debeat sumere Cappam magnam in Aedibus superioris Episcopatus vel in ingressu Ecclesiae seu Presbyterii?

IX. An Canonici accessurum ad Cathedralam debeant omnes excipere in dictis Aedibus vel soli tres aut quatuor ad portam Ecclesiae?

X. An diebus festis fieri debeant publicae Orationes pro novi Episcopi electione ad formam Concil. Trident. et Caeremonialis Episcoporum?

Supradicta die 22. Augusti 1722 responsum fuit

Ad primum: Negative.

Ad secundum: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad tertium: Negative.

Ad quartum: Negative et sedeat in primo stallo Cleri.

Ad quintum: Negative.

Ad sextum: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad septimum: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad octavum: Arbitrio Administratoris in casu etc.

Ad nonum: Decere in casu, de quo agitur, ut omnes accedant

Ad decimum: Affirmative.

Pro Episcopo titulari obtinente Canoniatum in Cathedrali Asculana die 20. Martii 1720 in Sacra Congregatione Rituum per Card. Picum a Mirandula proposita octo sequentia dubia resoluta fuerunt, ut infra:

Dub. I.: An post delatam per Subdiaconum assistentem Episcopo locali pacem debeat illa deferri per dictum Subdiaconum Episcopo titulari, antequam Canonici assistentes in throno illam recipiant ab Episcopo locali? *Negative.*

II. An Canonicus Episcopus titularis in Missis et Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis teneatur discedere a stallo unacum reliquis Canonice pro faciendis consuetis circulis praescriptis a Caeremoniali Episcopo? *Affirmative.*

III.: An exercente Pontificalia Episcopo locali liceat Episcopo titulari as-

sistenti in stallo cum reliquis Canonice deferre Pluviale vel potius incedere debeat cum Rochetto, Mantelletta et habitu violaceo?

Affirmative exercente Episcopo locali Pontificalia et assistente Capitulo in paramentis sacris.

IV. An unacum Pluviali possit quoque deferre Mitram episcopalem absque consensu Episcopi localis? *Posse, accedente consensu Episcopi.*

V. An et cujus qualitatis debeat esse Mitra gestanda per Episcopum? *Mitram debere esse lineam.*

VI. An in casu concessionis usus mitrae, ut supra, debeat Episcopus titularis illam per seipsum imponere vel potius ad hunc effectum liceat uti opera alterius?

Per seipsum in casu ut supra.

VII. An liceat Episcopo titulari canenti Missas et Vesperas tamquam Canonice in propria hebdomada uti faldistorio et indumentis pontificalibus seu potius illas canere debeat sedendo in scamno, prout practicatur cum reliquis Canonice, et absque pontificalibus indumentis? *Ad mentem et mens est: ut in Missis de turno abstineat et subroget alium; in solemnioribus vero non posse, nisi de licentia Episcopi.*

VIII. An in tali casu teneatur petere licentiam ab Episcopo localis? *Jam provisum. Et quoad thurificationem, Episcopum titolarem esse thurificandum post Archidiaconum et Canonicos throno assistentes.*

Episcopos titulares nuncupatos pontificalia exercere in aliena dioecesi, nisi de ordinaria licentia, minime posse sancit

Pius IV. Episcopus, servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, nonnulli Epis-

copi Ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt, clero carentes ac populo christiano, cum fere vagabundi sint et permanentem sedem non habeant, non quae Jesu Christi sed alienas oves, in scio proprio pastore, quaerentes, pontificalia officia, quae nisi de ipsorum locorum ordinariarum licentia et in personas eisdem ordinariis subjectas tantum exercere deberent, in alienis civitatibus et dioecibus seu in locis nullius dioecesis quasi episcopalem cathedram propria temeritate ac praetextu literarum sacrae nostrae Poenitentiarum officio vel alias emanatarum erigere et quoscumque ad se venientes, etiam si suorum praelatorum literas commendatitias non habeant, clericali caractere insignire et ad sacros, etiam Presbyteratus, ordines promovere audeant et praesument, quo plerumque fit ut minus idonei ac rudes et ignari et qui a suo Episcopo, tamquam inhabiles et indigni rejecti fuerint, ab illis ordinati, nec divina officia peragere neque ecclesiastica sacramenta recte valeant administrare, in clericali sacerdotalsque ordinis dedecus et contemptum ac christifidelium et scandalum plurimorum,

Nos igitur, pro nostri pastoralis officii, nobis divinitus injuncti, debito opportunum in praemissis remedium adhibere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, quascumque literas ab eodem Poenitentiarum nostrae officio seu alias a Sede apostolica quomodolibet emanatas harum serie revocantes penitus et annullantes ac nemini de caetero suffragari, nec quemquam illis se ullo pacto juvare neque uti posse decernentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus, ordinamus atque declaramus quod posthac nullus Episcopus ex eis, qui titulares vocantur, in qualibet civitate seu dioecesi, etiam in loco nullius dioecesis, quantumcunque ex-

emplo aut aliquo monasterio cujusvis ordinis, etiam quibuslibet privilegiis et immunitatibus suffulti, ubilibet consistente, resederit aut moram traxerit, praetextu quarumvis literarum ab eodem Poenitentiarum officio seu alias ab ipsa Sede apostolica sibi de promovendo quoscumque ad se recurrentes pro tempore concessarum, pontificalia officia, nisi, ut praefertur, de ordinarii expressa licentia et in personas eidem ordinario subjectas dumtaxat exercere vel aliquem alterius subditum, etiam sub colore familiaritatis, continuae commensalitatissuae absque sui proprii praelati expresso consensu aut literis dimissoriis, ad primam clericalem tonsuram aut aliquos alios minores aut etiam sacros et presbyteratus ordines, ullatenus possit aut debeat promovere.

Quodque quilibet ex dictis Episcopis titularibus contrafaciens ab exercitio ipsorum pontificalium per annum, taliter vero promoti ab executione ordinum per eos, ut praemittitur, susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso jure suspensi sint et esse censeantur.

Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et defini debere; ac quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus apostolicis, nec non civitatum, dioecesium, monasteriorum, ordinum et locorum praedictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis quomodolibet concessis et confirmatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter

expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Maii 1562 pontif. anno III.

*Sequitur declaratio
superius editae constitutionis.*

Pius Papa IV.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanarunt a nobis literae in forma brevis, tenoris subsequentis, videlicet: Pius etc.

Volentes autem, per nostrae sollicitudinis vigilantiam, in praemissis diligentius et efficacius providere ne Episcopi titulares, in praesertis literis nominati, aliquid, etiam praeter mentem ac voluntatem nostram et sacras constitutiones, in ecclesiastici ordinis iacturam et detrimentum, attentare seu praesumere audeant: motu et scientia similibus, quod Episcopi titulares praefati posthac nullos actus pontificales exercere neque ordines sacros aut minores nec etiam primam clericalem tonsuram cuiquam conferre possint, tam temporibus a jure statutis quam extra ipsa tempora, non solum personis et in locis subjectis dioecesanis, in quorum dioecesi pro tempore resederint, sed nec etiam aliis personis, quae ad illam dioecesim cum licentia proprii ordinarii seu superioris venirent et peterent se promoveri aut ordinari, nisi habita prius expressa licentia Episcopi vel ejus Vicarii, in cujus dioecesi fuerint, etiam in monasterio vel loco nullius dioecesis seu quomodolibet exempto dictos actus pontificales exercere aut ordines et tonsuram hujusmodi conferre vellent; quodque si dicti Episcopi titulares contrafecerint et in praemissis non paruerint vel in eis excesserint, Episcopi ordinarii seu

illorum vicarii tamquam delegati Sedis apostolicae contra eos ad suspensionis ab eorum ordinibus ad tempus sibi bene visum, necnon, illorum crescenti contumacia, ad privationis omnium et singulorum beneficiorum, per eos ex dispensatione apostolica seu alias quomodolibet obtentorum ac etiam pecuniarias arbitrio ipsorum ordinariarum seu vicariarum infligendas et applicandas poenas procedere et eos a suis dioecibus expellere libere et licite valeant; nec illi in monasteriis aut locis exemptis vel nullius dioecesis, quae consistant intra ipsorum ordinariarum dioecesim vel ei contigua sint sine permissione Episcopi vel ejus Vicarii hujusmodi, stare, habitare seu moram trahere ullo modo possint auctoritate apostolica, tenore praesentium similiter statuimus, decernimus atque declaramus.

Inhibentes, sub suspensionis a divinis et excommunicationis aliisque arbitrii nostri poenis, eisdem Episcopis titularibus, ne, quovis praetextu aut quaesito colore, huic statuto, decreto et declarationi ac praesentibus literis nostris in aliquo ullatenus contrafacere seu contravenire audeant vel praesument.

Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his ab illis seu eorum aliquo fieri vel attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis literis, tam ab ipsa sacra Poenitentiarum, quam sub plumbo et in forma brevis a Nobis et sede apostolica quomodolibet emanatis, necnon omnibus illis, quae in praesertis literis hujusmodi voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris etc. ut supra.

(Bull. r. t. p. 198. Ed. Aug. Taur. 1862.)

12) Praecedentia.

Vd.: *Episcopus* (praeced.); *Episc. titul.*; *Sed. Episcop. in Synodo prov.*

Episcopis titularibus praecedunt Episcopi locales etiamsi posteriores sint consecratione.

Frances. de Eccles. Cathedral. cap. 32. num. 19. et 21., Ursaya in Miscellaneo sacro et profano part. 2. verb.: Episcopus n. 40.

13) Synodus et Concilium.

Titulares Episcopi nequeunt cogere Synodum dioecesanam, nisi qui a suis Ecclesiis expulsi sunt, aut in terris Christianorum jurisdictionem exercent in determinatis locis *Benedict. XIV. de Synodo dioecesana lib. 2. c. 4. a num. 3. ad 6. Episcopi titulares non fuerunt admissi ad Concilium Romanum sub Benedicto XIII. celebratum anno 1725. Idem ibid. lib. 5. cap. 10. num. 3.*

An Episcopi titulares possint ac debeant vocari ad Concilia generalia in iisque votum habeant decisivum, gravior quaestio est, de qua *Andreucius de Episcopo titulari P. II. num. 118. seqq.* Nullus certe titularium Episcoporum, qui plures erant, vocatus fuit ad Lateranense et Tridentinum Concilium. *Vide Cardinalem de Lugo lib. V. Responsor. Moral. dub. 15.*

TITULUS.

1) Altaris.

Vd.: *Altare* (titulus); *Indulg. altaris* (quando reviviscat?) *Indulg. ecclesiae renov.* (decr. 13. Septembris 1723.)

2) Cardinalium.

a) Modus dandi.

De dandis Titulis et Annulis Cardinalibus.

Accedentes novi Cardinales unus

post alium ad Pontificem, primus genuflectit ad Pontificem, qui accipiens Annulum pretiosum ad hoc praeparatum immittet in digito annulari dextrae manus Cardinalis, dans ei Annulum et Titulum, dicens: „Ad honorem Dei Omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et sancti N. cum clero et populo et capellis suis secundum formam, qua committi consuevit Cardinalibus, qui eandem Ecclesiam in Titulum habuerunt.“ In Diaconis autem id servatur, nisi quod non dicit: Tituli, nec adduntur capellae.

Quod novi Cardinales non utuntur Annulis antequam habeant Titulum.

Notandum, quod novi Cardinales, etiamsi antea erant Praelati, non debent portare Annulos antequam habeant Annulum a Summo Pontifice. Cum autem acceperint Annulum et Titulum, osculentur pedem et Pontificis manum; et Sanctitas Sua eos elevet ad osculum oris et revertantur ad sedes suas. Datis Annulis et Titulis Cardinalibus praesentibus, consuevit Pontifex ad contentiones tollendas etiam dare Titulos Cardinalibus absentibus, si qui sint noviter creati. Et haec omnia de ore aperiendo, Annulis et Titulis dandis, possunt etiam fieri extra Consistorium ordinarium, videlicet in circulis et Congregationibus, quando Cardinales vocantur pro aliqua causa, et tamen supradicta servantur, sicut in Consistorio.

(Catal. Caer. Eccles. rom. l. I. p. 312.)

b) Praefinitio titularum etc.

Praefinitio titularum et diaconiarum pro sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris et diaconibus cardinalibus.

Sixtus V. Episcopus, servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religiosa sanctorum Pontificum praecessorum nostrorum providentia institutum olim fuit, jam inde a vetustissimis temporibus et posteris traditum, ut sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris certae in urbe Roma Ecclesiae, tituli appellatae, quasi quaedam cujusque propriae dioeceses, diaconibus vero Urbis regiones, ad christianae religionis propagationem et conservationem, assignarentur. Quae quidem sancta institutio, plurimum saeculorum continuata serie ac pro temporum varietate susceptis incrementis, ad nostram usque aetatem servata, ita viget, ut praeter sex Episcopos cardinales, qui certis cathedralibus Ecclesiis Urbi finitimis et diaconiae, cum suis clero et populo ac quasi episcopali jurisdictione in spiritualibus et temporalibus regendae et administrandae committantur.

§. 1. Proinde nos, postquam per nostram nuper editam constitutionem creandorum Cardinalium numerum, *computatis sex Episcopis praedictis, quatuordecim diaconis, reliquis vero presbyteris cardinalibus, ad septuaginta praescripsimus*, nunc quoque, ad Dei honorem atque ad ipsius sanctae Romanae Ecclesiae decus et ornamentum ac romani cleri et populi bonum regimen salubremque directionem, eisdem presbyteris et diaconibus cardinalibus totidem titulos et diaconias, ipsorum amplitudini et dignitati maxime congruentes, duximus assignandos. Ac licet pleraeque ex antiquis Ecclesiis in titulos et diaconias concedi solitis aut a praedecessoribus nostris successu temporum additis adhuc integrae et illaesae permaneant, tamen quia nonnullae, tum diuturnitate et injuria temporum, tum diversis quae olim contigerunt ejusdem Urbis direptionibus, incendiis et ruinis, collapsae sunt, Nos, antiquae pietatis et religionis christianae monumenta conservare cupientes, sicuti sacrosanctas

basilicas et augustiora templa antiquitate ipsa veneranda, nedum sarda custodiri, sed et ingenti nostro sumptu refici, instaurari et ornari in dies magis curamus, ita etiam primo quidem loco veteres et nobiles Ecclesias, priscis temporibus in titulos presbyterorum cardinalium, ut praefertur, institutas, delegimus easque omnes, quae adhuc extant, volumus omnino in titulos pro modernis et futuris presbyteris cardinalibus retinere. Deinde ex iis, quae recenti memoria in titulos erectae fuerunt, praetermissis quibusdam, propter loci incommoditatem, aut alias minus idoneis, caeteras itidem retinere ac demum, ne titularum numerus presbyteris cardinalibus desit, exemplo nonnullorum nostrorum praedecessorum, alias partim antiquas, nondum tamen hujusmodi honore decoratas, partim vero recentiores, celebres tamen Ecclesias, dignitate praesulum majorem in modum illustrare et in similes titulos erigere et instituere ac pro numero presbyterorum cardinalium tot titulos addere; ex diaconis quoque antiquitus institutis, quatuordecim magis insignes pro totidem diaconis cardinalibus seligere et congrua distinctione confusionem perpetuo tollere decrevimus, eosdem nimirum titulos et diaconias proprios assignando, ita ut numquam in posterum, quod hactenus saepe factum est, presbyteris diaconiae, neque diaconis tituli presbyterales, perturbato ordine aut promiscue concedantur. Quod quidem rationi consentaneum videtur, ut, quemadmodum Summus Pontifex, universali Ecclesiae praesidens et omnium totius orbis Ecclesiarum sollicitudinem gerens, specialiter tamen Urbis Romae Episcopus existit et in ea divina dispositione supremam sacerdotalis potestatis cathedram tenet, pari quoque ratione cardinalibus, quos uti speciales S. R. E.